Reverendissimo Dño Nicolao ab Amsdorf
Episcopo Naumburgensi, eruditione et pietate
praestanti suo patrono colendo.

S. D. Reverendissime Domine. Scribit ad Illustrissimum
Principem Joannem Guilhelmum Academia,
et petit mitti collegio aliquantum fru-
menti. Nam a vicinis nondum emi potest,
qui trituram differunt. Reddet autem Academia
post trituram. Quare etiam atque etiam oro, ut
authoritate et sententia tua nos istic in aula ad-
iuves. Habuimus Oeconomum industrium
et fidelem, quem deus ex hac vita evocavit.
Nunc adhuc tenet oeconomiam vidua honesta
mulier, sed adiuvatur a civibus, quos dele-
gimus a Doctore Georgio Maiore, et Doctore
Augustino. Multae difficultates nos exercent.
Precor ut Deus aeternus pater Domini nostri Iesu
Christi leniat eas. Bene et feliciter vale.
die 23. Septembris ~~Anno~~ Wittebergae 1546.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo in Christo Patri, Domino
Nicolao Episcopo Numburgensi Domino
suo summa reverentia colendo.

S. Etsi non erat quod hoc tempore scriberem, tamen
indicavi meam erga te observantiam esse Reveren-
dissime Dne, cessari officio scribendi voluntatem
meam. Declarationem Caesaris contra illustris-
simos Principes nostros additam cum legissem, adeo
indignatione exarsi, ut correpto calamo, statim
eam totam invertere, et ex sacris literis ostende-
rem Papam et Caesarem esse hostes dei et Anathe-
mata. Feci autem prosopopoeiam et tribuo eam
Deo ipsi. Dedi id effusum ex indignatione
scriptum legendum domino Philippo, Doctori
Crucigero, et alijs quibusdam amicis, qui hortati
sunt, ut edi curarem. Iam igitur sub praelo
est, ubi autem fuerit excusum, mittam vobis
exemplar. Totum istud bellum videtur mihi
simile esse illi quod rex impius et Idolatra
Hieroboam contra pium Abiam gessit,
Quare spero omnino fore quoque similem exi-
tum. Etsi etiam nos nostra promerent
peccata. Prudenter omnino factum est,